



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. IV. Vtrum Angeli peccaverint nolendo subjici Christo venturo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

975. Vterius, Angelus in primo creationis instanti cognoverat suam felicitatem naturalem, & non obstante hac cognitione, prætulit supernaturalem, eliciendo actum fidei & amorem Dei super omnia. Atqui voluntas Angelorum est saltem moraliter inflexibilis, non apparente novo motivo: ergo non potuit moraliter abduci à prima electione per solam cognitionem beatitudinis naturalis, sed debuit accessisse novum motivum, quod esset assignandum.

976. Respondet tacite P. Esparza, Angelum in primo instanti non attendisse ad suam felicitatem naturalem, sed totum se occupasse in objectis supernaturalibus per fidem & amorem. Verum hanc responsionem non recipient Thomæ, qui (& in specie P. Philippus à SS. Trin.) docent, & meo iudicio verissime, Angelum esse in continua sui suæque excellentiæ contemplatione comprehensiva, ita ut nec possit ab ea abstinere.

977. Contra. 2. Et suppono id, quod omnes Theologi tradunt, omnes Angelos bonos semper perseverasse in amore Dei semel concepto, & quo se ad sanctificationem disposuerunt, unde ad hominem sic argumentor. Si consideratio beatitudinis naturalis non poterat stare cum Amore divino, quem habebant mali Angeli in primo instanti: ergo quando se in secundo instanti applicuerunt ad considerationem beatitudinis naturalis, hoc ipso cessarunt ab amore divino; sed non potest dici, quod hoc ipso cessaverint ab amore divino; ergo consideratio beatitudinis naturalis non excluderat occupationem in objectis supernaturalibus per fidem & amorem Dei. Minor probatur. Si Angeli considerando suam felicitatem naturalem, hoc ipso cessassent ab amore divino, sequeretur, per hanc cessationem eos fuisse moraliter necessitados ad peccandum; consequens nemo admittit: ergo nec antecedens admittendum est. Sequelam proba: omnes & soli illi peccassent, qui se ad hanc considerationem felicitatis naturalis applicassent: ergo fuissent moraliter necessitati ad peccandum. Antecedens patet: nam illi omnes & soli peccarunt, qui ab amore Dei cessarunt in secundo instanti, applicando se ad considerationem beatitudinis naturalis, incompatibilem cum amore Dei jam verò ad hominem proba consequentiam. Quod uniformiter à magna multitudine fit, censetur fieri ex morali necessitate, ut docet P. Esparza, inferens inde, quod in primo instanti omnes fuerint moraliter necessitati ad non peccandum: ergo si omnes & soli illi peccaverunt in tanta multitudine, qualis est malorum Angelorum, qui se ad considerandam felicitatem naturalem applicarunt, hæc consideratio censenda esset morale necessitate peccandi induxisse. Hoc autem est absurdum: ergo nullâ ratione dicendum est, quod consideratio beatitudinis na-

turalis excluderet amorem Dei in primo instanti conceptum; alioquin vnum ex duobus dicendum esset, vel omnes malos Angelos fuisse moraliter necessitados ad peccandum, vel aliquem ex bonis Angelis etiam ab amore Dei per considerationem felicitatis naturalis cessasse: quod nemo concedit. Ergo à primo ad ultimum, ex morali inflexibilitate Angelorum bene intulimus, pro malis Angelis esse assignandum novum motivum, & quidem aliud quàm sit felicitas naturalis, nam hæc etiam in primo instanti perfecte cognoscebatur, nec ejus cognitio impediebat occupationem circa supernaturalia.

CONTROVERSIA IV.

Vtrum Angeli peccaverint, nolendo subijci Christo venturo.

978. **D**ICO, veri similis esse, peccatum Luciferi fuisse, quod Christo, ut homini venturo, recusaverit subjectionem, quam Deus illi præcepit. Ita jam communiter Recentiores, quò tandem etiam recurrit P. Esparza.

979. Et hæc quidem sententia facilius defenditur ab illis, qui docent, Christum venturum fuisse, etiamsi Adam non peccasset, nec proinde redemptore opus fuisset: sic enim facile percipitur, quomodo in secundo instanti fuerit Angelis propositum novum motivum humiliationis. In sententia verò contraria S. Thomæ, valdeque communi (cui non est in præsentia quæstione præjudicandum) non levem habet difficultatem. Nam peccatum Adami præsupponebat lapsum dæmonis, utpote qui Adamum ad lapsum induxit: ergo lapsus dæmonis non potuit præsupponere venturum Christum, si hujus adventus præsupponit lapsum Adami: alioquin erit mutua præsuppositio inter lapsum Adami & Christum, nam lapsus Adami præsupponetur ad Christum venturum: Christus venturus præsupponetur ad lapsum dæmonis, & hoc mediante ad lapsum Adami.

980. Ad hanc difficultatem respondit Card. de Lugo, Deum Angelis manifestasse Incarnationem, non absolute & certò futuram, sed ut possibilem, dicendo v.g. se velle etiam creare homines, & elevare ad eandem supernaturalem Beatitudinem, quam Angelis præparasset, fierique posse, ut inter illos vnus esset futurus, qui simul esset Deus & homo, caput Angelorum & hominum, & cui deberent obedire ac subijci pro tunc, quando existeret. Ut proinde se paratos ostenderent, ad eam reverentiam suo tempore præstandam, si Deus esset Incarnandus. Hanc autem reverentiam Lucifer recusavit, indignum duceas, supremum Angelum subijci naturæ toto gradu

gradu inferiori, hoc est, humanæ. Ad hoc autem non erat necesse, ut Angelis revelaretur certò futura Incarnatio.

981. Hanc responsionem P. Esparza ait sibi displicere ex duplici capite. Primò quia est subtilitas purè voluntaria, inventa præcisè ad vitandam difficultatem, absque exemplo similitudinis præceptorum. Secundò, quia non est necessaria hæc subtilitas, utpote Christo venturo, etiam si Adam vel demones non peccassent.

982. Pace tanti viri, non video, cur hæc sint duo capita displicentia: Subtilitas purè voluntaria hoc ipso formalissimè est subtilitas non necessaria, ergo hæc non sunt duo capita displicentia, sed unum formalissimè. Deinde respondeo pro Lugone; Esto, non sit necessaria hæc subtilitas illis, qui asserunt, Christum independentem à peccato Adami venturum esse, est tamen necessaria Lugoni, & pluribus contrarium tenentibus. Et sanè miratus sum, hinc à P. Esparza tam intrepidè supponi, Christum venturum fuisse Adamo non peccante, cum tamen in libello de Incarnatione utramque sententiam problematicè propugnaverit, solùmque dixerit, se in secundam aliquantulum magis inclinare. Non cenfeo, propter hanc paulò maiorem inclinationem esse statim rejiciendam explicationem allatam divini præcepti, cum præiudicio sententia summè probabilis.

983. Quod verò addit P. Esparza, huiusmodi præceptum conditionatum esse absque exemplo, adhuc minùs intelligo: nam utrumque Testamentum plenum est præceptis conditionatis, nec est absque exemplo, quòd Deus aliquid præceperit fieri præcisè ad explorandum paratum animum, cum decreto non permittendi effectum: sic Abrahamo præcepit, ut immolaret filium: poterat ergo similiter præcipere Angelis subjectionem, quæ nunquam esset futura ad explorandam eorum obedientiam. Sed, demus fuisse præceptum sine exemplo: an non & Adamo præceptum sine exemplo latum est, de non comedendo pomo cum alligatione voluntatum & cum irreparabili præiudicio totius posteritatis?

984. Responsio ergo Lugonis hæctenus sufficere potest; an insuper alia dari possit, videbimus, acturi de Fine Incarnationis, ubi hæc ipsa obiectio redibit. Nunc ergo

985. Probatur Conclusio primò non levibus Scripturæ testimonijs. Jo. 8. cum Christus intelligeret Judæos suæ vitæ insidiari, dicebat: *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere: ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit.* Vbi Christus clarè loquitur de primo peccato Luciferi, quo scilicet in veritate non stetit, dicitque illud fuisse desiderium simile desiderio Judæorum, occidendi Christum, nempe sicut

Christi excellentiam, dignitatem, æstimationem, cultum & venerationem, quæ populus illum prosequeretur, ei inviderebant, & suppressere nitabantur: ita Lucifer affectabat Christi suppressionem, ne supra se emineret, adeoque illi similis esset.

986. Huc etiam non obscurè facit illud Pauli ad Hebræos. 1. *Et cum iterum introduci primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli ejus.* ubi sermo est de secunda introductione Christi hominis in mundum, quæ facta est per actualem Incarnationem, & sicut tunc in effectum illum adorare iussi sunt, ita in prima introductione, hoc est, manifestatione Voluntatis talem adorationem exigentis, Angeli quoad Voluntatis suæ præparationem adoraverunt.

987. Probatur. 2. autoritate Sanctorum Patrum, quorum aliquos satis clarè exprimere nostram sententiam, fatetur Ariaga. Huic authoritati accedit revelatio, quæ refertur in vita approbata Beate Joannæ de Cruce lib. 2. cap. 16. ubi narratur, illam sanctam Virginem à suo Angelo Custode accepisse pro certo, peccatum Luciferi & aliorum fuisse, quòd non acceptaverint præceptum Dei, illis intimatum, adorandi Christum, & obsequium ei exhibendi.

988. Ratione denique suadetur: quia non potest objectum magis idoneum exercendæ vel humiliationis vel superbiæ assignari respectu Angelorum. Arduum enim utique est, subesse illi, qui quoad Naturam inferior est, sicut est arduum subesse illi, qui quidem quoad naturam similis est, quoad alias verò dotes inferior. Fuit etiam vehementis indignationis motivum, nobiliore suâ naturâ neglectâ, humanam à Deo sibi fortassis assumendam præponi, & jam exigat paratum animum ad subjectionem, quod utique gravem suspicionem Angelis movit, ita aliquando futurum esse.

989. Res tota breviter sic concipienda proponi potest. Decrevit Deus elevare naturam tam Angelicam quàm humanam, ad finem supernaturalem, per merita consequendum: utque haberent merendi occasionem, decrevit utrique præceptum ponere, ad obedientiam illius exercendam, ut asserit S. Epiphanius *heresi 64. in illis, quæ ex Proclo & Methodio refert.* in quem finem Scientia Media ostendit, quibusnam præceptis tum homines tum Angeli essent obtemperaturi, inter quæ fuit præceptum jam explicatum respectu Angelorum. Ulterius vidit Deus per eandem Scientiam Mediam, quòd, si Angeli peccarent, nolendo obtemperare, illud peccatum foret occasio lapsus Adami, si huic præceptum poneretur non comedendi fructum.

Quia ergo per scientiam simplicis intelligentiæ jam prius cognovit Deus, quòd peccatum præbeat

præbeat ex se occasionem & motivum, seu causam finalem mittendi Christum redemptorem: in hoc objecto Deus sibi complacens, tanquam in motivo removente prohibens, decrevit Angelis ponere hujusmodi præceptum subjectionis affectivæ.

CONTROVERSIA V.

Quomodo Dæmones ab igne torqueantur.

990. Elebris est sententia, Dæmones torqueri ab igne per alligationem localem ad ignem infernalem, à quo se liberare non possunt, tamen maxime vellent. Ita satis clarè D. Thomas q. 64. a. 4. ad 3. ejusdem sententiæ est Abulensis in c. 25. *Matth.* & teste Petavio, consentiunt fere Scholastici.

991. Suadetur hæc sententia imprimis ostendendo, quòd hujusmodi alligatio non possit non esse molestissima Dæmonibus. Nam, ut post alios observant Comptonus, Esparza, Philippus à SS. Trin. hujusmodi alligatio vim infert libertati Angelorum, & virtuti sese absolventi à quocunque corpore, & se transferendi quolibet. Quia verò defacto multi dæmones non sunt igni infernali alligati, dicuntur tamen ab eo cruciari, quatenus sciunt se illi aeternum alligandos esse. Accedit, quòd alligentur igni in loco infimo, cum prius affectassent locum superiorem: item quòd alligentur illi instrumento, quo puniuntur etiam homines, & quidem à Deo aeternum reprobati, quæ apprehensio est eorum superbæ valde adversa.

992. Suaderetur. 2. à P. Esparza, ostendendo, quòd hæc pœna sit præ alijs conveniens et naturæ rei & proportionata peccato Angelorum. Peccatis hominum, inquit, & Angelorum est communis aversio à Deo, & contemptus donorum spiritualium, unde utrique similiter privantur visione Dei, donisque omnibus supernaturalibus. Sed quoad ab usum rerum corporaliū est magnum discrimen inter spiritum humanum & Angelicum. Quia spiritus humanus vnitur corpori unione per se, eoque delectatur rebus corporalibus, earumque actione & passione afficitur intrinsecè. At Angelus vnitur corpori unione tantum aggregativâ in ordine ad locum, propterea quæ non afficitur intrinsecè actione & passione corporalium delectabilium, totusque abusus peccaminosus circa illa consistit in actione, quâ illis dominatur ad fines suos pravorum. Hæc igitur de causâ oportuit, ut homines paterentur in inferno ab igne aliisque agentibus materialibus, per qualitates ab eis productas, atque inherentes physicè hominibus, eisdemque molestas & nocivas. At respectu dæmonum solum

oportuit, ut vis eorum dominativa supra corpora, quoad motum localem, converteretur in servitutem per alligationem ad corpus nocivum respectu hominis, ideoque infamativum seu dehonestativum respectu dæmonum. Hæc ille.

993. Plura sunt, quæ in hac sententia difficultatem faciunt. Imprimis enim sensus fidelium est, acerbiter pœnæ quæ animabus dæmonibusque inferitur, tantò majorem esse illâ locali alligatione ad ignem, quantum excederet continua corporalis adustio carcerem quemcunque quantumvis angustissimum & obscurissimum. Sanè antiqui Patres fuerunt etiam limbo alligati, neque tamen ideo aliquam pœnam sensus passi esse dicuntur.

Secundò, longè aliud videntur indicare illæ divitis epulonis querelæ de tortura ignis, & preces, quibus petijt vel unâ guttâ leniri tormentum: nunquid aliud non petijt, quàm ad momentum ab illo igne absolvi, ut paucillum extra illum spatium posset (hæc enim erit unâ guttula) ne tantam infamiam pateretur? quis vnquam ita concepit?

994. Tertiò videtur hæc sententia ex animabus purgatorio detentis: quarum alligatio ad ignem non potest illis esse molesta propter earum superbiam aut inordinatum appetitum evagandi, nec propter infamiam, quam ex illa alligatione patiuntur, nec propterea, quòd sint igni aeternum alligandi. Sanè in his animabus earumque tortura ab igne proveniente, non videntur vllò modo procedere ea, quæ in favorem relatæ sententiæ adducta sunt, quæ pluribus adhuc impugnari possent.

995. Est ergo altera sententia, quæ docet, ignem elevari à Deo (seu physicè, seu moraliter) ad producendam aliquam qualitatem spirituales in Angelo, non minùs illi contrariam & molestam, quàm sit calor corpori sensitivo. Ita Suarez, Arriaga, Derkennius & alij multi. Dixi. *vel physicè, vel moraliter.* Physicè quidem in sententia admittente potentiam obedientialem; moraliter autem, in sententia eam negante, (ut tenet Derkennius) quatenus nimirum illa qualitas producit intuitu ignis physicè torquentis corpora damnatorum, & propter similitudinem doloris, qui causatur ab illa qualitate & à calore.

996. Objicitur. Non videntur esse possibiles in Angelo aliæ qualitates quàm vitales, nec dolor eorum videtur posse esse aliud quàm actus vitalis: in Angelo autem non datur aliud actus vitalis, quàm cognitio & volitio. R. Dolorem debere quidem esse actum vitalem, & quandam cognitionem experimentalem objecti præsentis, & valde contrarij seu dissoni naturæ; attamen Angelum esse capacem qualitarum non vitalium, sicut Anima rationalis est capax Characteris spiritualis.